



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXII. De Excommunicato Sacramentum Pœnitentiæ in
Excommunicatione suscipiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S L X I I .

De Excommunicato Sacramentum Pœnitentiæ in Excommunicatione suscipiente &c.

Ruffus nuper ob delictum à se commissum, cui Excommunicatio annexa erat, excommunicatus absolutionem ab ea aliquamdiu procurare neglexit; tandem pœnitentiâ ductus Augustinum Confessarium adit, eique omnia sua peccata cum vera contritione, & emendationis proposito confitetur, sed in ipso Confessionis actu ex oblivione non manifestat Excommunicationis censuram, quæ delicto à se commissò annexa fuerat; nec ab eâ Augustinus Sacerdos absolvit, utpote qui in affluxu pœnitentium omisso *miseretur tui* &c. & absolutione à censuris, solum à peccatis absolvere solitus est, ut citius pœnitentes expediat.

QUÆR. I. An Ruffus, non obstante Excommunicatione, validè receperit Sacramentum Pœnitentiæ, ejusque fructum, omnia sua peccata cum vera contritione manifestando?

QUÆR. II. An Excommunicatus, à culpa sua, & contumacia recedens, & per contritionem, vel Confessionem justificatus, particeps fiat omnium suffragiorum Ecclesiæ, si per ipsum non stet, quominus per Judicis sententiam absolvatur?

QUÆR. III. Utrum Excommunicatus, qui negligens est in procuranda absolutione à censura, peccet contra præceptum de audienda Missa, annua Confessione, & Paschali Communionem, quibus aliàs posset satisfacere?

351 **A**D I. Q. Noto ex cap. illorum, denunciato interdictam esse Sacramentorum susceptionem, quo tamen non obstante, si ea etiam
cap. si quem de sentent. Excomm.
Excommunicato etiam non
Ccc 2 abs-

absque necessitate, & illicitè suscipiat, validè nihilominus ea recipit; quia valor Sacramentorum non pendet ex Ecclesiæ ordinatione, & voluntate, sed ex Christi institutione, quæ stare potest cum iniqua suscipientis dispositione, ut docet communis cum Suarez *D. 10. de censur. sect. 3.* Excipitur tamen hîc Sacramentum Pœnitentiæ; quia, cum hoc essentialiter pro materia proxima requirat rectam suscipientis dispositionem, invalidum, saltem indirectè, redditur propter pœnitentis indispositionem, si hîc censuram Excommunicationis non ignorans, nullâque necessitate constrictus, atque adeò Sacrilegè Sacramentum petat, & suscipiat: Unde quæstio hîc duntaxat est de Excommunicato bona fide ad Sacramentum Pœnitentiæ accedente, scilicet pro casu necessitatis, probabilis ignorantia, aut oblivionis. Quo in casu

Sententiam negativam amplectuntur Sylvest. *V. Confessio, 1. q. 3. cas. 5.* & *V. Confessor, 3. n. 12.* Sotus in *4. dist. 22. q. 1. a. 1.* Vasq. de *Excomm. dub. 4.* Gasp. Hurtado *D. 4. de Excomm. diffic. 3.* aliique, moti autoritate *cap. ult. de Clerico Excommunicato ministrante*; ubi dicitur, quòd si Clericus excommunicatus excommunicatione minore Sacramenta conferat, non careant virtutis effectu, quia non à collatione, sed à participatione Sacra-

mentorum remòtus est: atqui ligatus majori excommunicatione à receptione & collatione remòtus est: ergo Sacramenta ab ipso recepta, & collata virtutis effectu carent. 2. Ecclesia per Excommunicationem separat Excommunicatum à perceptione Sacramentorum, quantum potest: atqui potest illum separare à Sacramento Pœnitentiæ ita, ut quamvis illud recipiat, nullus sit effectus, sicut faceret, si Excommunicatum à jurisdictione Sacerdotis excluderet. 3. Quia absolutio data ab Excommunicato denunciato est omninò irrita, & nulla: ergo & absolutionis receptio.

Verùm his non obstantibus dicendum est; eo in casu probabilius valere absolutionem, & excommunicatum verè & sacramentaliter absolvi à peccatis, remanente censura Excommunicationis, si nullus in alio aliàs sit defectus. Ita Covar. in *C. alma p. 1. §. 6. n. 7.* Navar. *Man. c. 9. n. 7.* Suarez l. c. n. 9. Henriq. l. 13. c. 12. n. 2. Bonac. de *censur. D. 2. q. 2. p. 2. §. 1.* Coninck *D. 4. dub. 3.* Palao *tr. 29. D. 2. de censur. p. 7. n. 4.* Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 1. Ugolin. Sayrus, Valent. aliique. Ratio præcipua est, quia nullo jure cavetur irritum, & inane reddi Sacramentum ab excommunicato susceptum, si nihil aliud desit; quòd enim ex-

com-

communicatus à Sacramentis sit exclusus, solum probat, eum indebitè illa suscipere, si sit censuræ memor, & ab hac antea non absolvatur; in posito autem casu excommunicatus inculpabiliter omissa censuræ absolutione Sacramentum recipit: ergo cessat indebita receptio & consequenter causa, ob quam Sacramentum nullum esse poterat.

Conf. Quia nihil est, quod absolutionem irritam reddat, & valorem tollat; adest enim sufficiens dispositio ex parte poenitentis, ut ponitur, adest quoque jurisdictio ex parte absolventis, cum nullo juris textu hæc absolvens privetur, cederetque hæc privatio in poenam innocentium Prælatorum, si ob Excommunicationem subditorum privarentur jurisdictio antea in ipsos habita. Et esto daretur talis privatio respectu Prælatorum inferiorum; id tamen non procederet in Pontifice, si ex ignorantia, oblivione &c. excommunicatum, non præmissa censuræ absolutione, absolveret; nam hujus jurisdictio excommunicatione poenitentis suspendi non potest; atque adeo valida esset absolutio, utpote procedens à legitimo Ministro circa poenitentem ritè dispositum: ergo censura ex se non reddit Sacramentum irritum. Neque credendum est de pietate matris Ecclesiæ velle poenitentem contritum, ritèque dispositum ex-

cludere à Sacramenti receptione, ex qua fortè ejus perpetua Salus pendet.

Neque obstant fundamenta in oppositum allata. Ad 1. R. illud nimium probare; si enim vera esset illatio in argumento facta, probaret Excommunicatum minori Excommunicatione recipientem Sacramentum Penitentiae inculpabiliter, invalidè illud recipere, siquidem per talem censuram privatur communiōe passiva Sacramentorum; imò invalidè susciperet quodlibet aliud Sacramentum, quod utique falsum est.

Ad 2. R. Ecclesiam per Excommunicationem non separari à se excommunicatum, quantum potest, aliàs non permetteret communicationem cum non denunciato, neque pro ipso denunciato orationes privatas fieri.

Ad 3. Negatur paritas; quia absolutio data ab Excommunicato, extra articulum mortis, invalida est ex defectu jurisdictionis: hæc autem non deest in posito casu, ut ostensum est; vi enim Excommunicationis non privatur subjectione, ne excommunicatio cedat in innocentium damnum.

Ad 2. Q. An excommunicatus, per contritionem, vel Confessionem justificatus, particeps fiat omnium suffragiorum Ecclesiæ,

fiæ, si per eum non stet, quominus per Judicis sententiam absolvatur? Affirmant D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 76. Navar. c. 21. n. 18. Covarr. cap. alma p. 1. §. 6. Richard. in 4. d. 18. a. 7. q. 3. Sayrus l. 2. cap. 4. n. 5. Henriq. & alii. Rationem dant, quia videtur alienum à pietate Ecclesiæ, velle eum privare spiritualibus communibus auxiliis, & Diaboli insidiis objicere, qui à culpa, & inobedientia, cujus causâ ipsi tanta poena inflicta est, penitus recessit, & per contritionem, & Confessionem justificatus est.

Conf. quia excommunicatus contritus est vivum membrum Ecclesiæ: debet ergo vegetari communi spiritu, & subsidiis aliorum membrorum. Nihilominus rectius, ac probabilius contrarium docent Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 1. Suarez D. 9. Sect. 3. Coninek D. 14. dub. 7. diff. 2. Gasp. Hurtado D. 2. diff. 5. Palao l. c. p. 6. n. 8. Laym. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 4. la Croix n. 205. aliique. Id, quod haud obscure sumitur ex C. a nobis, & C. Sacris de sent. Excomm. Ubi Innoc. III. decidit pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & absolutionem procuravit, & per eum non stetit, quo minus absolveretur, non esse oblationes recipiendas, neque orationes publicas instituendas, antequam ab Excommunicatione absolvatur;

quia licet solutus sit vinculo culpæ apud Deum; non tamen solutus est vinculo censuræ, quò per Ecclesiæ sententiam ligatus est. Et ratio liquet, quia Excommunicatio non pœnitentiâ, sed absolutione tollitur: atqui Excommunicatione manente manet etiam illius effectus: ergo &c. Neque urget ratio in contrarium adducta; non enim hoc est contra Ecclesiæ benignitatem, cum cedat ad majorem censuræ reverentiam, & timorem, ut non cesset aliter, quàm authentica absolutione; nam quamvis deposita culpa, & contumacia, censura remitti debeat, id tamen non privato, sed publico judicio, & absolutione fieri debet.

Ad Conf. R. etsi Excommunicatus per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiæ, id solum probare, quòd communicet cum aliis fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, ob quam communionem orationes illius redduntur gratiores Deo, & facilius exaudiuntur; non verò quòd participet influxum spiritualis auxilii, qui ex publicis Ecclesiæ suffragiis provenit; cum horum privatio sit pars quædam censuræ, quâ homo ille nondum solutus est, ut ponitur.

Ad 3. Q. Excommunicatum 354 voluntariè in Excommunicatione persistentem peccare contra præceptum de Confessione, & Communione annua, si absolutionem non

petat, cum potest praecepto satisfacere, affirmant Navar. c. 21. n. 34. Suarez 3. p. tom. 3. D. 88. Sect. 6. Palao D. 2. de censur. p. 9. n. 3. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. Coninck D. 14. dub. 7. n. 57. Bonac. D. 2. q. 1. p. 3. §. 1. & alii. Ratio est, quia haec praecepta sunt divina, tametsi ab Ecclesia determinata, & consequenter obligant ad removenda quaelibet impedimenta, quae illorum executioni obstare possunt, cum removeri queunt. 2. Quia haec praecepta etiam quatenus Ecclesiastica sunt, ordinantur ad animae puritatem, & reconciliationem cum Deo: ergo per se obligant ad mundandam animam, & consequenter ad tollenda impedimenta huic puritati, & reconciliationi obstantia.

355 An autem excommunicatus, si in procuranda absolutione negligens sit, peccet etiam contra

praeceptum de Missa audienda? magis controversum est inter DD. Affirmativam sententiam tenent Didac. Nunnez 3. p. q. 83. n. 6. Gobat hic c. 27. n. 95. Avila & alii: Sed rectius, ac probabilius alii negant cum Navar. Suarez. Bonac. Palao, Laym. Sayro, Ugolin. Coninck. Ills. Dicastill. Henriq. & aliis; Quia Ecclesia hoc praecepto noluit obligari Excommunicatum, sed excludi, solisque liberos, ac dispositos ad illius executionem obligat; non autem ut se disponant; cum ea dispositio sit valde remota, & alius infirmus, & carcere detentus peccarent contra dictum praeceptum, si possent ab infirmitate, & carcere se liberare, valetudinem, vel libertatem procurando, quod tamen negat communior sententia apud la Croix l. 1. n. 794. cum Suarez Bonac. Fagund. Palao, Laym. aliisque citt.



CA-